



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Jus Canonicvm R.P. Pavli Laymanni, Soc: Jesu Theologi, Et
Olim In Alma Et Episcopali Academia Dilingana SS.
Canonum Ordinarii Professoris**

Juris Canonici A. R.P. Paulo Laymanno Societatis Jesu Theologo SS.
Canonum In Alma, Catholica, Et Episcopali Universitate Dilingana
Professore Qvondam Ordinario, Prælectionibus Academicis Illustrati

Laymann, Paul

Dilingæ, 1673

Titvlvs XII. De Causa Possessionis Et Proprietatis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62587](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62587)

minis inter contractus & ultimas voluntates est, quia in voluntatibus ultimis ob earum fauorem plenior interpretatio fieri debet quam in contractibus. *reg. 12. junct. gl. ff. de Reg. jur.* atque in contractibus sibi imputare debet stipulator, quod obligationem, quam imponere voluit, non magis expresserit, *l. Veteribus. 39. ff. de pact.* Sed quid si Titius habens duos equos, promiserit alterutrum tibi dare, & ante promissionem impletam sine morâ aut culpa promissoris, unus eorum moriatur, debetne alterum dare? Resp. Affirmatiuè. *ex l. Stichum. 95. §. v. ff. de solut. l. 12. §. Scavola. ff. de eo quod certo loco.* Excipe I. Nisi vnus ex equis promissis, ab eo qui eligendi jus habebat, electus fuerat, tum eo mortuo liberatur promissor. *cit. l. Stichum;* nam id generatim verum est, vt si res casu pereat, eius damno pereat, cui in specie debetur. Dico si casu pereat, secus si culpa seu mora culpabili creditoris. Excipe II. cum *gl. in cit. §. Scavola. in Molin. l. c.* si vna ex rebus sub disiunctione debitis, ita vt in promissoris electione esset, alterutram dare, absque eius culpa pereat, quo in casu satisfacet promissor præstando eiusdem æstimationem *l. Cum rebus. 47 §. Sed si Stichus. ff. d. l. 1.*

4. Nota II. Si quis eum qui promissit certo loco se soluturum, alibi conveniat, tenebitur ad id quod interest debitori solutionem in alio loco fieri, quam constitutum erat, quandoquidem non in omnibus locis idem rerum pretium est, aut pecuniæ æstimationo, ita etiam habetur in *l. 1. & 2. ff. de eo, quod certo loco. & §. Plus autem. Institut. de actionibus.* Verumtamen hæc non est proprie pœna hujus cap. cum id ex rei natura na-

scatur, ut si debitor alibi soluere iubeatur, quam promiserat, ratio habeatur eius, quod interest; quamobrem distingui debet, aut enim justam causam actor habet in alio loco petendi, si videlicet debitor in loco constituto nunquam reperitur, aut contineri facile non possit, tum vbiq; terrarum vtili actione conueniri poterit, ita tamen vt ratio habeatur, tam ex parte creditoris, quam debitoris, quatenus eorum interest, quod alio loco solutio fiat. *l. 2. ff. de eo, qui certo & c.* aut non habet justam causam alibi petendi, tunc non tantum ad interesse tenebitur, sed etiam ad expensas litis, cum pœnam plus petentis incurrat. Sed quid, si quod alibi promissum est, solui petatur in loco domicilii? videtur id concessum ex lege *Hares. §. vlt. ff. de iudic.* Resp. *Jo. Fab. & Mysing. cit. §. Plus autem;* posse quidem conueniri in loco domicilii, sed factâ mentione loci, in quæ solutio destinata erat, ita vt si inter sit debitori, alibi potius solui, habeatur ratio vilitatis seu inter esse.

Nota III. Si quis tempore plus petat, videlicet ante diem definitum, vel ante impletam conditionem, v. g. si quidpiam promissum sit sub conditione nuptiarum, ita puniri debet, vt tempus quatenus ab ipso præuentum est, in odium eius duplicetur, vt si duobus mensibus actionem anticipauit creditor, quatuor mensibus à iudicio huius causæ absistere cogatur, si Reus conuentus actionem eius excludere velit dilatoriè, si autem peremptoriè, ita vt sinat iudicem sententiam ferre, tum eam ita moderari debet, vt solutio seu executio sententiæ non fiat, nisi duplicato illo tempore elapso. Sic docet *Innoc. hic. & Panorm. n. i 2. & 14.*

TITVLVS XII.

DE CAUSA POSSESSIONIS ET PROPRIETATIS.

Cap. I.

Susceptis.

PARAPHRASIS.

Felix, illustris Siculus conquectus est S. Gregorio

gorio Pontifici, quod actores Ecclesie Syracusanæ possessiones eius iniuste occuparint, petitque se restitui. Sed Gregorius respondit, iudices à partibus eligendos esse, qui de utraque tum momenti seu possessionis, tum proprietatis causa cognoscant, cum ita Cæsareis legibus definitum sit, & se parte alterâ inauditâ judicare haud possit. Ita habetur in *l. 7. registri epistolarum indict. 2. epist. 100. ad Felicem & epist. 101. ad Joan. Syracusanum Episc.*

S Y M M A R I U M.

1. Apud eundem iudicem causa proprietatis & possessionis tractari debent.
2. Parte absente, & non citatâ judicare, ne Principi quidem concessum est.
3. Nisi causa notoria sit, aut periculum sit in mora.
4. Mandata sine clausula justificatoria data in quibus casibus valeant.
5. Quodnam sit discrimen mandati cum vel sine clausula justificatoria dati.

NOTA I. Causa proprietatis seu Domini & possessionis apud eundem iudicem tractari debent. Ita habetur in *l. Nulli. de iudiciis. vbi dicitur, quod causæ continentia, seu causa plures partes vel quæstiones in se continens, diuidi non debeat, & puniendum esse, qui alium super causa possessionis, & alium deinde super proprietatis quæstione iudicem postulauerit, Ratio reddi debet, vt causa citius expediatur, nam qui de possessione cognouit, facilius proprietatis causam definit.*

NOTA II. Ne principi quidem concessum est iudicare parte absente & non citatâ, quia jus se defendendi atque ad obiecta respondendi, cuiuslibet naturali ac gentium iure competit, ut habetur in *Clement. Pastoralis. 6. Ceterum, de sentent. & re iudic. Vbi tamen exceptionem posui ex communiore sententia, quod iudex præsertim supremus in causa notoria, & si periculum in mora sit, procedere possit ad sententiam ferendam eiusque executionem, non præmissâ*

citatione, nam idem præmitti ordinariè debet, ne Reo se defendendi jus auferatur, quæ ratio cessat, si notoriè constat, nullam ei defensionem competere, videlicet si & factum notorium sit, & iniustitia, seu prohibitio facti.

Corollarium. Licet ordinariè mandata, quæ dantur sine clausula justificatoria, parti transmissa non valeant, nec obligent ad executionem, cum iudex ab executione incipere non debeat, sed partium citationem, causæque cognitionem præmittere. *l. 1. De Execusione rei iudic. l. Nequaquam, §. Vbi decretum. ff. De offic. Proconsulis.* Excipi tamen debet, si tale factum sit, quod nullâ tergiversatione celari, nullâque excusatione justificari possit, nam quod aliquo præsentem & invito fieri potest, idem quoque fieri potest eo absente aut ignorante. *l. Ergo 4. principio. junct. gl. marginals. ff. de fidei commiss. libertatibus: ff. de Reg. jur. & Reg. 27.* Atqui in dicto casu facti notoriè illiciti Reus condemnari potest, etsi præsens quomodocumque contradicat vel se defendat, ego etiam absens potest. Alios casus decernendi mandata sine clausula, videbis apud *Gailium. l. 1. Obseru. 13. Mandatum de mandat. judicial. l. 2. c. 11. Tillmannum de Benignis, Pentecost. 2. observationum Camer. obseru. 31,* qui tamè fermè ad unum casum referri possunt, si periculum in mora sit, quia damnum quod timetur, nisi statim succurratur, postea irreparabile erit, ut si aliquis vitæ innocentis infidietur, alimenta alicui debita neget, silvam arboribus excindendis devastet, vel si de religione, publica pace, & tranquillitate conferuanda agatur, & ita notauit *gl. Magna ex fafone in l. De pupill. 5. §. Si quis rimos. ff. De novi operis nunt.* quoties enim est periculum in mora, recedere licet à regulis iuris communis. Pro pleniore huius rei intellectu. Adverte frequens esse, ut pars, quæ iniuriam aut vim patitur, à iudice impetret mandatum contra molestantem, aut iniuste possidentem, etiam antequam is citatus sit, videlicet ad celeriore causæ expeditionem, præsertim si periculum in mora sit. Et est duplex mandatum, unum cum clausula

5 justificatoria, alterum mandatum sine clausula. Discrimen est, quod illud relinquit parti potestatem justificandi causam suam, seu rationes ac defensiones intra certum terminum afferendi, cur mandato parere non debeat iuxta formam quam indicat *gl. fin. in o. Ex parte 23. De verborum signific.* Mando tibi ut rem ablatam restituas, captivum liberum relinquant, ab ædificatione desistas, ædificata destruas, aut si eâ re te gravari existimas, intra octo dies, numerandos ab eo quo has literas acceperis, te sistas, & defensiones proponas, alioquin siue veneris siue non veneris, nisi mandatum executus fueris, incidas in talem pœnam: quod si pars, cui ita mandatum, rationes relevantes judici probaverit, tum ipsa absoluitur revocato mandato; sin autem rationes suas non justificaverit judici, tum prius illud mandatum firmum manet, sicuti & pœna decreta, nisi paruerit intra terminum vel antea ipsi præfixum, vel tunc de nouo præfigendum. Videatur *Gail. l. 1. obseru. 19. Min. dan. l. 2. c. 7.* Mandatum sine clausula justificatoria, est, quo aliquid sub pœna decreta præcipitur, non relicta potestate afferendi rationes, cur mandato paritum non sit, sed tantum afferendi rationes, cur pœna iniusta non sit. Exemplum: Mando vobis Consul & Senatores, ut ædificium quod in Solo alieno spretâ monitione & denuntiatione à Domino loci factâ exstruxistis, cum id factum vestrum notoriè iniustum sit, ac nulla ratione justificari queat; mox ut has literas acceperitis, destrui curetis sub pœna 12. marcarum auri; insuper vocamus vos peremptoriè ad 16. diem Aprilis, in quo comparere debeatis, & fidem facere de præterita monitione ac obedientia. Sin autem mandato non obtemperastis, ut appareat vos in pœnam incidisse, aut rationes afferatis relevantes, quare ad declarationem pœnæ procedendum non sit. Et talis quidem formula obseruatur, si aliquid agi mandetur, sin autem mandatum inhibitorium sit, de non offendendo, non arrestando, tum citatione opus non est ad ostendendam partitionem & obedientiam, sed postquam mandatum

contumaciter spretum fuit, tum citatio fieri potest ad videndum declarandumque pœnam incursum esse. Quae de re *Mindanus cit. l. 2. c. 10. n. 5.*

CAPITVLVM II.

Ad vltimum.

PARAPHRASIS.

Titius agebat contra Caium in causa possessionis adipiscendæ, & simul petitorium admiscebat, (dicens & probare paratus) sibi jus proprietatis cõpetere, Papa utrâque causam possessorij & petitorij iudicibus delegauit, ut parcerent partiû sumptibus & expensis, allegationes & testium depositiones super utroque iudicio permixtim exceperunt, sed cum viderent testificationes super petitorio esse magis intricatas, visum fuit, ut prius examinatis testificationibus super possessorio secundum eas pronuntiarent, postea verò resumerent causam petitorij. Quærebant num id facere potuerint? Resp. Cælestinus III. Rectè ita procedi, cum iure Ciuili id expressum reperiatur.

SUMMARIVM.

1. Quid sit petitorium & possessorium iudicium, & hoc quotuplex?
2. Quot modis concurrere possint petitorium & possessorium iudicium?

ADverte 1. Quod iudicium aliud est petitorium de dominio seu proprietate rei, aliud verò est possessorium, seu de possessione. Iudicium possessorium est triplex, vel enim instituitur causa adipiscendæ possessionis, ut si hæres cupiat se mitti in possessionem rerum hæreditariarum, quas alius possidet, interdicto quorum bonorum, aut legatorum. §. *Sequens. Infit. de interdicitis.* Huc etiam spectat interdictum Saluanum, quod datur locatori seu Domino ad recipiendam possessionem rerum pro solutione pensionis sibi obligatarum. §. *Interdictum. Infit. eodem.* Vel instituitur causa restituendæ pos-

de poſſeſſionis, ſi videlicet duo ſibi poſſeſſionem vindicent, ſed Actor dicat ſe turbari in poſſeſſione ſua, quam ſaltem animo ſeu ciuilitate adhuc retinet, hoc caſu locus eſt interdicto, *vi poſſidetis*, aut *virobi*, quorum illud pro rebus immobilibus competit, hoc pro mobilibus. §. *Quorum jus*. Inſtit. eod. Vel denique inſtituitur cauſa recuperandæ poſſeſſionis, à qua per vim aliquis deiectus eſt, tum locus eſt interdicto *Vnde vi* in rebus immobilibus, *vi bonorum raptorum* in rebus mobilibus. §. *Recuperanda*. inſtit. eod. iuncta gl. *Vide cap. Paſtoralis*. verb. *Quod de h. t.*

2. Adverte 2. Poſſeſſorium & petitorium iudicium duobus modis concurrere poſſunt. 1. Ex parte Actoris, ut in eodem libello eadẽmque actione cumulentur, id verò impoſſibile eſt in interdicto *retinenda*, cum enim Actor fateatur ſe poſſeſſorem, non poteſt rem petere ſibi dari, ſeu reſtitui; at verò in interdicto *adipiſcendæ* vel recuperandæ fieri id poteſt iuxta reſponſum huius capituli. Et licet teſtes, aliæque probationes ſuper utraque cauſa ſimul examinari & unã ſententia utraq; cauſa terminari poſſit, atque ordinari ita debeat. c. *Paſtoralis*. c. *Cum dilectus*. h. t. non prohibetur tamen iudex ex juſta cauſa aliter procedere, ut videlicet poſt receptos teſtes ſuper utraque cauſa priùs expediat poſſeſſorium, poſtea progrediatur ad petitorium iudicium. 2. Concurrere poſſunt petitorium & poſſeſſorium ſeiunctim, ut Actore petente poſſeſſionem, Reus excipiat & obtēdat proprietatem ac Dominium ſibi competere, tum diſtinguendum, vel uterque ait ſe poſſidere, quod accidere poteſt, ſi plures v. g. tanquam hæredes poſſideant caſtrum cum iuribus ad hærentibus, & unus alterum repellere velit, hoc caſu neceſſe eſt iudicium poſſeſſorium priùs ſummariè tractari, atque unum in poſſeſſione collocari, ut appareat quiſnam petitor eſſe debeat, ſeu petitorij iudicij actor, iuxta l. *Ordinarij* 13. inſtit. gl. C. *De Rei Vind.* & clariùs in l. *Incerti*. C. *De interdictis*. ubi dicitur: ortã proprietatis & poſſeſſionis lite, priùs poſſeſſionis decidi oportere queſtionẽ, ut ex hoc, ordine facto, de Dominij diſce-

ptatione probationes ab eo qui de poſſeſſione victus eſt, exigantur; vel Reus tantum poſſidet, tum ſi agatur iudicio poſſeſſionis adipiſcendæ, admittitur Reus, ſi probationes competentis ſibi dominij in continentia afferre velit, ut docet gl. in e. 1. verb. *Contentionem*. de reſtitut. ſpol. *Panorm.* hic in fin. Sin autem agatur iudicio recuperandæ contra ſpoliatorem, non admittitur talis exceptio, quia poſſeſſor ante omnia reſtituendus eſt. Arg. l. 3. §. *ibid.* ff. *Ad exhibendum*, & docet *Dinus* in Reg. 73. in 6.

CAPITVLVM III.

Cùm Eccleſia.

PARAPHRASIS.

Vacante Eccleſiã Sutrinã Canonici Cathedralis convenientes in unum, præmiſſo ſecundum conſuetudinem hymno: *Veni S. Spiritus*, Episcopum elegerunt, eumque à ſede Apoſtolica confirmari poſtularunt: ſed Clerici Conventualium Eccleſiarum ſe opponebant, petentes electionem infirmari, quia ipsis renitentibus & exclusis, electio peracta fuerat, cum tamen in Episcoporum electionibus ipsi, & antecessores ipſorum conſueverint intereſſe. Partibus apud ſedem Apoſtolicam conſtitutis, coram auditoribus teſtes utrinque recepti fuerunt, quorum publicatis atteſtationibus, dicebant Canonici intentionem ſuam, quod ad ipſos tantum electio ſpectaret, ſatis probatam eſſe; ſed pars altera dicebat, quod teſtes melius probarent aſſertionem ſuam, videlicet quod ipſi electioni Episcoporum intereſſe deberent, cum atteſtationibus conſtaret, ipſos tribus proximè antecedentibus Episcoporum electionibus unã cum Cathedralibus interfuiſſe, & vocem actiuam habuiſſe. Innocentius III. examinatis atteſtationibus, deprehendit teſtes à Canonice Cathedralibus productos varios fuiſſe, & coram auditoribus vacillãſſe, imò etiam de negatiuã quodammodo teſtatos fuiſſe, vi-

se, videlicet jus electionis ita ad Canonicos spectare, ut ad Clericos minimè pertineat: at verò testes Clericorum sufficienter ostendisse, ipsos in trium Episcoporum electionibus adfuisse & suffragiū dedisse; quam ob rem electionem illam, quæ Clericis renitentibus & exclusis facta erat, irritandam esse decreuit, Clericis eam quam ante litem motam habuerant, possessionem restituens. Verùm ulterius considerans Innocentius, quòd in dicta quæstione & altercatione, quidquid juris utraque pars in Electione habebat, videretur deduxisse, quandoquidem civili jure cautum est. *l. Solemus. ff. De judic.* In judicium venire omne id, de quo actum non est, ut non veniret: deinde quòd secundum Canones electio Episcopi ad Canonicos Cathedrales pertineat, nisi speciali consuetudine aliquid obtentum sit; at verò Clerici, tametsi Episcoporum electionibus tertio se interfuisse contenderint, tamen propter temporis brevitatem jus eligendi per præscriptionem non compararunt: denique quia Actore non probante, Reus etsi nihil præstiterit, obtinere debet. Propter hæc Innocentius Canonicos à petitione Clericorum absoluit, super jure eligendi, Clericis perpetuum silentium indicens.

SUMMARIUM.

1. *Nomine Conventualium Ecclesiarum etiam Ecclesia collegiata secularium Clericorum veniunt.*
2. *Privatur quasi possessione juris eligendi, qui ad eligendum non admittitur: amittit verò eam, qui ex metu repulsa ferenda non accedit.*
3. *Contempti sine repulsi ab electione, possunt agere ad infirmandam & rescindendam electionem.*
4. *Quædam pro intellectu huius capituli notanda.*
5. *Quanam requirantur ad præscribendum jus eligendi?*
6. *Qui deponunt de negativa facti alicuius, non restringendo ad locum, tempus*

& depositionem hanc, faciunt se suspensos.

7. *Sententia in petitorio lata efficacior est, quam sententia lata in possessorio, & hanc quamvis priorem secundum effectum saepe revocat.*
8. *Quod sub petitione principaliter, vel accessorie comprehendendi potest, id omne ab Actore in iudicium deductum videtur, nisi expresse aliquid exceptum sit.*

Nota I. Etiam si secularium Clericorum Ecclesiæ Collegiata dici possint Conventuales. Communiter tamen nomine Conventualium Ecclesiarum, intelligi solent Regulares, uti *Panorm. hic notat.*

Nota II. Si quis existens in quasi possessione juris eligendi, pro unâ vice non admittitur, seu repulsus sit, censetur possessione privatus, ut hinc apparet; sed & amittitur possessio, si quis præ timore ad electionem accedere non sit ausus, vel quia putabat, jus sibi non competere, vel quia credebatur, se non admittendum; tunc enim animum possidendi deponit, sine animo autem nec acquiri, nec retineri potest possessio, uti colligitur ex *l. 3. §. Non admittenda. ff. De acquir. possess. Innoc. in c. 2. n. 2. De restitut. in integrum.*

Nota III. Si Capitulares petant electionem Prælati confirmari, contemptus seu repulsus, potest se opponere, petendo, ut infirmetur aut rescindatur, & ad hoc obtinendum, sufficit eum probare, quòd tempore instituendæ electionis, seu congregandi Capituli fuerit in possessione juris eligendi. *Argum. c. Consultationibus. 19. De jure Patronatus, & ex Communi Innoc. hic n. 7.* quia Canonici, & qui Capitulares sunt, non possunt privatâ sua autoritate aliquem possessione sui juris spoliare, uti bene hinc *Panorm. n. 57.*

Ceterum pro intellectu huius Capituli, nota, quòd Clerici non tantum contemptum sui persecuti sint ad electionem infirmandam, sed simul petierint se restitui in possessionem eligendi, atque insuper eum possessorio iudicio recuperandæ adiunxerint & petitorium, quandoquidem inter articulos

los probatorias posuerunt, quod ipsi debeant (de iure) interesse electioni; hoc autem Canonici negarunt, dicendo ad ipsos tantum electionem spectare, ita *gl. hic. verb. spectare*, ubi bene admonet, hos Clericos incaute egisse, quod cum possessorio petitorio cumularint, & ita onus probandi titulum, aut legitimam usucapionem assumpserint, quod prestare non potuerunt; consultius eis fuisset, si solo interdicto recuperanda petiissent se restitui, in possessionem juris eligendi, ita ut cum aliis ad proximam electionem admittendi fuissent; vel saltem probandi onus, videlicet tempus legitimum ad usucapionem completum non esse, in Canonicos reiecerint, & ita admonet Caius Jure Consultus *l. 25. ff. de rei vindicatione*. quod is, qui destinavit rem petere, animadvertere debeat, an aliquo interdicto possit nancisci possessionem, quia longè commodius est, ipsum possidere, & adversarium ad onera petitoris compellere, quàm alio possidente petere.

5 Hoc loco disputari solet, quænam ad jus eligendi usucapiendum requirantur. Resp. In primis requiritur possessio, ut videlicet ad eligendum aliquis cum reliquis admissus sit, tanquam ei jus competat, at verò si ex mera voluntate seu gratiâ Capitulares extraneum admiserint, non inchoatur præscriptio, cum ita admissus, jus eligendi non possideat, quare vniuersim dici solet, quod per gratuitos seu merè voluntarios actus, usucapio non fiat. Sed quid in dubio præsumendum, aliquem ad actum admissum fuisse, ex gratia, an ex debito? bene Resp. *Imola. hic n. 10. Panorm. n. 22.* id ex qualitate actus & circumstantiis arbitrandum esse, nam aliqui actus sunt, qui vix alicui conceduntur ex gratia. v. g. ut extraneus vocem actiuam inter canonicos habeat; & tunc vnus actus sufficiat ad acquirendam possessionem juris eligendi, & usucapionem inchoandam, ut bene hic docet *Imola n. 7.* & sumitur ex *cap. Cum de beneficiis. 5. de Prab. in 6.* alii verò actus sunt, qui alteri solent ex amicitia seu gratiâ concedi, sed non frequenter, tunc non sufficit vnus actus, sed plures requiruntur, ita

ut verisimile sit, alterum exercuisse actum tanquam iure sibi competentem. *argum. l. 1. §. Hoc Interdicto. ff. de itinere actû quo priuato.* Vbi dicitur necessarium esse ut per triginta saltem vnus anni dies aliquis per fundum alienum iuerit aut egerit, ut seruitutem in eo compararit. Alii denique sunt actus, qui etiam frequenter alicui concedi solent ex gratia & beneuolentiâ, tum etiam sæpe repetiti actus non sufficient ad acquirendam possessionem juris, ut si millies aliquis in Monasterium ut hospes susceptus sit, vel ad cænam alicuius vocatus, non idè ei possessio juris acquiritur, præterquam si ex circumstantiis appareat, quod jus sibi aliquod vindicarit, v. g. Episcopus dum Monasterium visitat. Alterum requisitum est, bona fides, ut videlicet electionem cum aliis faciens putet jus sibi competere. Tertium requisitum est, scientia & patientia domini, videlicet in casu nostro Capitularium, qui jus eligendi alteri concedere possint, aut si nolint, eundem ab Electione repellere, nam id generale est, quod ad usucapienda jura, & seruitutes requiratur scientia & patientia Domini *l. 2. junct. gl. verb. sciente ff. de seruitut. Limitari autem id debet I. Nisi aliunde titulus coloratus habeatur, videlicet ab aliquo Tertio, qui bonâ fide putatur tale jus concessisse, aut concedere potuisse; cum tamen non concesserit, aut jus non habuerit concedendi. Limitatur II. Nisi ostendi possit tempus immemorabile, quo aliquis fuerit in possessione pacificâ juris eligendi, nam tanti temporis possessio instar tituli est, ut alio titulo & allegatione tituli opus non sit, dummodo sit capacitas in possidente. *arg. c. Super. de Verborum significatione & l. Hoc iure. 3. §. Aqua ductus ff. de aqua quotid. & ex communi docet. Joan. Andr. Francus. Bald. de præscript. p. 4. principali. par. 2. q. 1. n. 15. Couarr. Reg. Possessor. p. 2. §. 10. n. 2.* Vbi bene monet, nihil obstare, si vnâ cum immemorabili possessione allegetur titulus, neque enim idè pars litigans obligare censetur ad probandum titulum, sed per immemorabilem possessionem probatus censetur, cum hæc habeat præsumptionem tituli,*

tuli seu iustitiæ tituli juxta *cit. d. Aqua du-
Eius. 4.* Requisitum, est decursus temporis
legitimi; sed quantum debet esse hoc tem-
pus in præscriptione juris eligendi? Resp.
Cum Bald. p. 5. princip. q. 8. aut extranei,
seu qui non è Collegio sunt, eligere volunt
exclusis Capitularibus; hoc casu cum jus
commune resistat, requiruntur 40. anni,
cum titulo colorato. v. g. Privilegii Aposto-
lici prætextu; vel tempus immemoriale sine
titulo juxta *c. 1. de Præscript. in 6.* aut ex-
tranei eligere volunt, non exclusis collegia-
tis, tum opus non est titulo, sed sufficere vi-
detur tempus longissimum videlicet 40. an-
norum, tanto enim tempore contra Eccle-
siam circa eiusdem jura præscribitur. *cap. de
quarta. 4. c. Illud. 8. de Præscript. & ita do-
cet gl. hic. verb. Brevitatem. Anton. & Imo-
la. n. 25. Bald. cit. q. 8. Concluf. 1. & 3. con-
tra Panorm. hic. n. 43.* qui titulum requirit,
vel tempus immemoriale. Ratio est, tum
quia agitur de re non gravis præiudicii, tum
quia si rectè attenditur, in hoc casu jus non
resistit seu non prohibet ex concessione ca-
pitularium jus eligendi extraneo compete-
re. Et quæ hic dixi de jure eligendi, ferè
etiam locum habent in præscriptione juris
præsentandi, confirmandi.

6 Nota IV. Testes deponentes de negati-
va alicuius facti, non restricto loco, tempore
& c. faciunt se suspectos, tales erant hi te-
stes, quòd ad Canonicos duntaxat pertineat
jus eligendi; hæc enim depositio implicitè
involuit negativam non probabilem, vide-
licet ad alios non pertinere jus eligendi, cum
tamen ex concessione Canonicorum aliòve
jure speciali competere posset, id verò affir-
manti probandum est, non neganti.

7 Nota V. Cum possessorium & petito-
rium simul intentata sunt, licet sententia su-
per possessorio præcedere debeat, potior ta-
men & efficacior est sententia super pro-
prietate, ista enim vincit & superat posses-
sionem, uti expressè habetur in *c. Cum dile-
ctus. 6. h. t.* Exemplum habes hic. Licet enim
in possessorio pro Clericis iudicatum fuerit,
tamen sententia postea lata contra eosdem
in petitorio, secundùm effectù revocat prio-

rem sententiam, quandoquidem Innocen-
tius Clericis silentium super hoc jure in per-
petuum indicit. & hæc est mens *gl. hic. verb.
Reducentes.*

Nota VI. Libellus & petitio Actoris la-
tè explicari debent, ut in iudicium dedu-
xisse videatur omne id, quod sub petitione
principaliter aut accessoriè comprehendì po-
test, nisi quidpiam expressè exceptum fuit.
Ita habetur in *l. Solemus*, ubi Bartolus videri
potest. *ff. De iudic.* Ratio reddi debet, ut si
uno iudicio ac sententia tota controversia
expediatur, sæpius litigiis fatigari non sit
opus.

CAPITVLVM IV.

Cum super.

PARAPHRASIS.

Vacante Ecclesia in Bethleem duo in dis-
cordia electi sunt, Subdiaconus Ecclesiæ
Romanæ, & Diaconus sepulchri Domi-
nici. Patriarcha Hierosolymitanus ele-
ctionem Subdiaconi confirmavit, qui ta-
men mox à sæculari potestate deiectus
est & spoliatus episcopatu, quare coram
Innoc. III. egit ex interdicto *unde vi*, seu
iudicio recuperandæ possessionis, & cum
spoliationem probasset, sententialiter re-
stitutus est; verùm quia etiam petitorii
deductum erat in litem, & tam spoliationis,
quàm ipsius electionis quæstio plenè
agitata, atque repertum, viriusque ele-
ctionem minùs canonicam fuisse, idèò,
cum iudex, de quo cognovit, etiam sen-
tentiam ferre debeat, utramque electio-
nem irritam esse Papa decrevit. Pro in-
tellectu huius, imprimis adverte, id pro-
prium esse rerum incorporalium, videli-
cet jurium ac servitutum, ut tametsi ali-
quis in possessione sit, si tamen ab altero
molestetur, petere possit institutâ actione
in rem confessoria declarari sibi jus com-
petere. v. g. pascendi, decimandi, eligen-
di; vel instituta actione in rem negato-
ria, declarari adversario jus nullum com-
petere, idèòque desistere debere, uti ha-
betur

betur in §. *Aequè Inſtit. de Act.* quamobrem frequens eſt in beneficialibus & ſimilibus iuribus, ut cum poſſeſſorio cumuletur petitorium, ſicuti & in hoc cap. videre eſt, quòd Subdiaconus epiſcopatu ſuo ſpoliatus, non tantùm petiuerit ſe in poſſeſſionem reſtitui, ſed inſuper etiam contra Diaconum aduerſarium declarari; jus epiſcopatus ex electione & confirmatione ſibi competere, Diacono jus nullum competere: ita notat *gl. hic. verb. Tam petitorium. Panorm. n. 9. Bartol. in l. Naturaliter. §. Niſi. ff. De acquirend. Poſ. ſeſſ.*

SUMMARIUM.

1. Sententia lata pro ſpoliato in poſſeſſorio quo ad principalem quidem effectum corrumpit, ſi poſtmodum in petitorio contraria illi ſententia feratur, non autem quo ad effectus aliquos ſecundarios.
2. Si Electio canonica non eſt, irritari etiam debet confirmatio.
3. Electio ſeu inſtitutio ad Præſaturam, vel Beneficium duplici modo impugnari poteſt.
4. De illis tantùm que ſunt deducta in iudicium cognoscere ac pronuntiare debet Iudex, niſi ſit ſupremus, aut nouum inquisitionis proceſſum ex officio inſtituere velit.

Nota I. De Cauſa poſſeſſorij, priùs iudicem ſententiam ferre oportet, & poſtea de cauſa petitorij, ita dixi in cap. *preced.* Quaritur, quem effectum habeat ſententia lata pro ſpoliato in poſſeſſorio. Si ſequens ſententia ſuperpetitorio eidem cõtraria eſt.

1. *Reſpondeo & dico 1.* Quoad principalem effectum ſuperatur & corrumpit ſententia poſſeſſorij ſeu de reſtitutione faciendâ, cum executioni mandari non debeat, quia obſtat defectus notorius proprietatis.

Dico 2. Alios ſecundarios effectus habere poteſt verbalis adjudicatio poſſeſſionis; videlicet quoad expenſas & fructus reſtituendos ſpoliato, ſi in bonæ fidei poſſeſſione fuerat, *vti hic gl. notat verb. Reſtituendum. Panorm. n. 7.*

2. Nota II. Si electio Canonica non fuit,

etiam confirmatio irritari, ſeu irrita iudicari debet. Ita colligitur ex hoc capitulo, & docet *gl. hic verb. Confirmatur gl. in c. Si Confirmationem. 39. verb. Infirmari, de elect. in 6.*

Nota III. Duobus modis, poteſt aliquis electionem, confirmationem, aut inſtitutionem alterius in Præſatura aut beneficio oppugnare, vel duntaxat ut electus aut proviſus remoueat, tum ſufficit ei probare, minùs canonicè electum aut inſtitutum eſſe, oſtendendo defectum formæ aut vitium perſonæ; vel ut aduerſario remoto, ſibi beneficium adjudicetur, tum probare inſuper debet jus electionis aut confirmationis ſuæ, alioqui iudicabitur neutri competere, & iſte eſt Caſus huius cap. *Quia*, ut integra electio appareat, ex utraque parte receptæ ſunt reſtitutiones ſuper electione, & cum neutra electio canonica reperiretur, utraque caſſata fuit.

Nota IV. De ea re iudex pronuntiare debet, quæ in iudicium deducta, & ab ipſo cognita eſt. *l. De qua re. 74. de iudic.* Quia ſententia conformis eſſe debet libello ac petitioni. Quæ verò in iudicium deducta non ſunt, de jis iudex cognoscere ac pronuntiare non debet, niſi ſit ſupremus, ut limitat *Panorm. n. 9.* Nam is ex plenitudine poteſtatis etiam partibus non petentibus jus dicere poteſt; deinde quilibet iudex ex deductis in iudicium aut confeſſione Rei, occaſionem ſumere poteſt, novum ex officio inquisitionis proceſſum inſtituendi,

CAPITVLVM V.

Pastoralis.

PARAPHRASIS.

Aliquis ſpoliatus, coram iudice apprensus, interrogatur, quo iudicio experiri malit, ipſe ſtatim libellum offert, de proprietate ſpoliationis nulla factâ mentione, ſed cum in cauſa proceſſum eſſet, ſuper poſſeſſorio novũ iudicium inchoare nititur, quid iudici agendum? *Reſp. Innoc. III.* Si iudicio de proprietate, ſiue rei vendicatione actum ſit, ſed necdum allegatio-

nibus renuntiatum, & in causa conclusum, posse annecti iudicium possessionis adipiscendæ, aut recuperandæ, cum Casareo iure statutum sit, eum qui fundum vendicauerit, pendente hoc iudicio, interdictum *Vnde vi*, si spoliatus fuerat, intentare posse, quod tamen de interdictis *Vti possidetis*, & *utrobique* sunt possessionis retinendæ, dici nequit, cum ea antecedant petitorium iudicium, & simul cumulari non possint.

Ceterum si in iudicio petitorio seu proprietatis allegationibus renuntiatum, & conclusum sit, aliudque non restet, nisi ut iudex sententiam ferat, tum possessorium immisceri non debet, nisi iudici ex certâ causâ id expedire visum fuerit, veluti si ex perspicuis indiciis appareat iniquitas spoliatoris, & quod spoliato probandi dominium subtraxerit facultatem, aut si alia causa æqua iudicem mouerit, ut etiam post conclusionem in causa iudicium possessorium immisceri patiatur.

S Y M M A R I V M.

1. Spoliatus, de actione, quâ velit experiri, informari debet.
2. Cui causa proprietatis delegata est, potest etiam de possessorio adipiscendæ vel recuperandæ cognoscere, si coram eo Actor possessorium hoc cumulare velit: neque tamen de causa proprietatis cognoscere potest, vi scilicet delegationis, cui possessoris causa tantum delegata est.
3. Citatio ad unam causam, potest presenti postmodum offerri etiam alia causa, vel actio.
4. Agens petitorio, cum hoc ipso non renuntiet possessorio adipiscendæ aut recuperandæ, potest cumulare possessorium priusquam in causa conclusum est.
5. Quando verò in causa conclusum iam est, ordinariè non admittitur Actor ad possessorium, nisi causa equitas præsertim in possessorio recuperandæ aliud suaderet.
6. Quod si sententia lata jam sit contra Actorem in petitorio, adhuc tamen ad possessorium admittitur, si in petitorio tantum succubuit, quia dominium probare non

potuit; non autem, si ita succubuit, ut Dominium reo competere iudicatum sit.

7. Agens petitorio in rebus corporalibus renuntiare censetur iudicio possessorio retinenda.
8. Nisi per alium ignorans tamen possideat.
9. Vel nisi amissâ quidem naturali, civilem adhuc tamen possessionem retineat.
10. In iuribus tamen & seruitutibus potest cum possessorio retinenda confessoria aut negatoria in rem actio cumulari.

NOta I. Si quis coram iudice queratur se spoliatum esse, non idèò apparet, quâ actione experiri velit, vtrum interdicto recuperandæ, an rei vindicatione, an conditione ex *l. Si quis in tantam* &c. *Cod. Vnde vi*, an denique actione iniuriarum, quam obrem à iudice interrogandus est, aut iubendus libellum formare, ex cuius conclusione appareat, quid petat, & intendat.

Queritur hoc loco si causa proprietatis iudici delegata sit, & Actor coram eo cumulare velit possessorium adipiscendæ vel recuperandæ, vtrum delegatus de eo cognoscere possit, negant multi Legistæ in *l. 3. C. Si autem non competente informatione. Zasius & Bald. n. 14.* sed contrarium rectè continet *gl. hic. verb. Requisitus. Ioan. Andr. n. 11. Panorm. n. 10.* Ratio est, quia causæ istæ sunt connectæ, ita ut iudicium proprietatis commodè tractari ac definiti non possit, nisi præcedente aut coniuncto iudicio possessionis. *Ad leg. 3.* Resp. Eam magis sanere nostræ sententiæ, nam ibi dicitur, si iudex delegatus super proprietate de causa possessionis tantum pronuntiavit v. g. pro possessore, quod nihilominus Actor, qui in possessorio succubuit, petitorium intentare possit, uti docet *Bart. in l. Naturaliter. §. Nihil. ff. De acquir. possess.* Ceterum si cui causa Possessorij delegata sit, v. g. ut super molestationibus & infestationibus cognoscat, is de causa proprietatis vi huius delegationis cognoscere nequit. Vti docet *gl. recepta. in c. 1. verb. indistinctè. de sequestratione possessionis.*

NOta II. Tametsi aliquis citatus sit ad unam causam, potest tamen ei præfenti offerri

ferri alia causa seu actio, nam citatio tendit ad presentiam exhibendam, igitur si praesens aliquis sit, in iudicio opus non est alia citatione, ita notat *Panorm. hic n. 7.*

4 Nota III. Qui agit iudicio petitorio, seu rei vindicatione, non ideo censetur renuntiare possessorio adipiscendae aut recuperandae, quare cumulando possessorium, priusquam in causa conclusum sit, suspendere potest petitorium, ita etiam habetur in *l. Cum fundum. 18. §. Cum qui. ff. de vi. Et Clem. unica. h. t. videlicet, si contra Titium instituiti actionem vindicationis, sed in progressu litis animaduertens difficilem tibi esse Domini probationem, obicias, Titium possessionem violenter occupasse, & ad hoc probandum te offeras, audiendus es, ut interim differatur petitorium iudicium, quia si probaueris spoliationem, restituendus eris etiam non probato Dominio. Similiter in interdicto possessionis adipiscendae; Si quis petitionem hereditatis intentauit ex testamento, sed valorem testamenti difficulter se probaturum animaduertit, petere potest summarie ac de plano, ut possessio hereditatis ei adiudicetur, & hac ratione onus probandi inualiditatem testamenti in eum reiciatur, qui pro haerede ab intestato possidet.*

5 Ceterum postquam conclusum est in causa, ut statim ferenda sit sententia absolutoria Rei, quia actor succubuit in petitorio, tum ordinariè non admittitur ad possessorium, nisi propter aequitatem ex iusta causa: & quidem frequentius in iudicio recuperandae admittitur actor ad probandam violentam occupationem, in eum finem, ut onus probandi proprietatem in inuaforem aduersarium reiciatur; juxta *cit. l. Cum fundum. §. Eum qui. ubi Bart. n. 17.* Idque propter odium spoliantis, uti notauit glossa in *cit. Clem. vn. verb. spoliantis*, ubi ait, quod propter odium spoliantis transire licet à petitorio ad possessorium.

6 Sed quid si sententia lata sit in petitorio contra actorem, admittetur ne ad possessorium? affirmat *gloss. hic verb. Causa.* et si aliquis succubuit, inquit, in iudicio

proprietatis, adhuc post sententiam accedere potest ad possessorium, & è contrario; sunt enim diuersa & separabilia iudicia, juxta *cit. §. Nihil commune.* Verum hoc intelligi debet, si actor succubuit in petitorio solum, quia jus seu Dominium probare non potuit, tunc enim ei obiici nequit defectus notorius proprietatis repellens à iudicio possessorio, quia non sequitur, actor defecit in probatione, seu probare non potuit, ergo nullum ei jus competit. Alia verò ratio est, si ita succubuit, ut pro Reo seu possessore pronuntiatum sit, Dominium ipsi competere, tunc agenti possessorio adipiscendae obstat exceptio rei iudicatae super proprietate, seu quod eodem recidit, defectus notorius proprietatis, ut bene not. *Bart. loc. cit. n. 16. Panorm. hic n. 27. Molin. tr. 2. de Iustit. disp. 16. n. 6.* dicens, quod haeres post aditam hereditatem petens possessionem alicuius rei, quae mortis tempore ad defunctum pertinebat, à possessore repelli possit exceptione sibi competentis domini, si vel id notorium sit, vel in continenti probari queat. Ratio est, cum enim Domino rei suae vindicatio competat, ideo frustra agis contra eum iudicio possessorio, ut rem tibi tradat, quando, postquam tradidit, denuò ipsi reddibenda est. Idem est dicendum de iudicio possessorio recuperandae, quod intentari non possit propter notorium defectum proprietatis, postquam res iudicio petitorio spoliatori adjudicata fuit; quamuis contrarium senserit *Dinus in regul. 73. n. 3. in 6. arg. l. Si quis in tantam 7. C. Unde vi. ubi statuitur, quod violenter inuadens possessionem, puniendus sit, ita ut si res sua fuit, eius dominio priuetur, & spoliato acquiratur, si sua non sit, sed aliena, tum non tantum rem restituere teneatur, sed etiam eius aestimationem, sed facilis est Responsio, hanc actionem seu conditionem ex ista l. non negari spoliato, si eam intentare velit, postquam in petitorio succubuit, sed hoc tantum dicimus, eum qui in possessorio ita succubuit, ut possessori Domini-*

nium adiudicatum sit, non posse intentare iudicium possessorium, quia proprietates absorbet possessorium, ita ut competere non possit ei, quem constat non esse Dominum, nec aduersus eum, quem rei Dominum esse constat. Denique agenti possessorio retinendæ, tum demum obstat exceptio rei iudicatæ aut Domini competentis Reo conuento, si etiam ipse possessionem rei vendicet sibi, ita ut probationes pares esse videantur, hoc casu in possessorio iudicio vincere debet is qui Dominus esse creditur, seu cuius possessio iustior esse videatur, ut docet *Bart. in cit. loco n. 1. & 3. Parnorm. hic. n. 27.*

9 Nota IV. Qui agit iudicio petitorio in rebus corporalibus, eo ipso censetur renuntiare iudicio possessorio retinendæ. Ratio est, quia possessorium retinendæ & petitorium aduersantia sunt, & simul consistere non possunt, ut diximus in *c. 2. aduert. 2. h. t.*

8 Limita I. Si quis petitorium intentans, nesciat se in possessione esse, quia alius v. g. officialis ipsius nomine possidet; qui postquam rescuerit cumulare potest possessorium retinendæ, cum ei renuntiare non voluerit, quippe ignorans, ut bene notat *gl. in cit. l. Naturaliter.*

9 Limita II. Cum ead. gl. & Bartolo n. 19. si non utramque possessionem, naturalem videlicet & civilem retineas, sed amiseris naturalem, quam aliquis v. g. precario à te tenet, nec restituere vult, & idè turbat & impedit civilem. Item si quis te absente clam inuaserit naturalem possessionem, idè eoque civilis etiam tua possessio periclitetur, his casibus cumulari potest possessorium retinendæ cum petitorio, potes enim petere per iudicis sententiam te confirmari in civili possessione, ne eam amittas, & insuper rem tibi à possessore, qui clam aut precario possidet, restitui. Ceterum si in hoc ipso casu ex profectioe rediens à naturali possessione recipienda repulsus fuisti, vel ob timorem recuperare desperasti, & acquieuisisti, ex eo tempore civili quoque possessione priuatus es, ita ut interdicto recuperandæ

vel conditione. *l. Si quis in tantam, agere possis, juxta l. 1. §. Eum qui. & l. 3. principio. ff. de vi. l. Clam possidere. §. Qui ad nundinas. ff. de acquir. possess.*

Limita III. Quòd in iuribus ac seruitutibus possessor vnà cum possessorio retinendæ confessoriam aut negatoriam in rem actionem cumulare possit, uti docui *c. preced. v. g.* Si iure itineris aut actus per agrum vicini vno anno tricies vsus es, & fundi Domini transitum tuum jam impedire vult, agere potes interdicto *uti possidetis*, tum verò aliud probare non teneris, quàm possessionem tuam, tot actibus acquisitam cum patientia vicini, & insuper turbationem seu impetitionem eiusdem *l. 1. ff. de itinere actusq.* Verum, ut amplius obtineas, potes etiam petitorium adiungere, videlicet, confessoriam in rem actionem, ut à iudice pronuntietur, just tibi competere, quod etiam probare tum debes. *§. aque. Instit. de action.*

CAPITVLVM VI.

Cum dilectus.

PARAPHRASIS.

Si simul iudicio possessorio ac petitorio actum fuit, vtrumque vna sententia terminari debet, tamen verò ea ita formanda sit, ut de possessione prius pronuntietur, tamen in executione proprietates praualeere debet.

SUMMARIUM.

1. *Causa petitoria & possessoria in eodem iudicio tractari simul possunt, non tantum si cumulatio fiat in eodem libello, aut ab eodem, sed etiam si fiat à diuersis vel in diuersis libellis, si tamen cumulatio vtriusque iudicis fieri possit.*
2. *Sententia super petitorio lata absorbet sententiam latam pro altero super possessione, ita ut huius, pro quo iudicatum est in possessorio, momentanea tantum sit possessio.*

Nota

NOta I. Cauſa petitorij & cauſa poſſeſſorij in eodem iudicio tractari ſimul poſſunt, *cap. Paſtoralis. 5. h. 8.* Id quod Ampliatur 1. quod non tantum hoc fieri poſſit in eodem libello, ſed etiam in diuerſis, antequam in cauſa conluſum ſit, ut dictum eſt. *c. preced. & docet hic Panorm. n. 6.* Ampliatur 2. talem cumulationem non tantum fieri poſſe, ſi vnus vtrumque iudicium intenter, uti conſtat *ex c. preced.* ſed etiam diuerſi. Vt ſi vnus contra turbatorem ſeu moleſtantem agat poſſeſſorio retinendæ, ille verò excipiat de competente ſibi proprietate.

Ceterum tradita doctrina intelligi debet, quod poſſeſſorium & petitorium frequenter cumulari poſſint, quandoque autem non poſſunt, ut ſi repugnantia ſint, videlicet poſſeſſorium retinendæ in rebus corporalibus, & petitorium, interdum verò petitorio iudicio obſtat exceptio rei iudicatæ, quia poſſeſſori dominium adiudicatum eſt, ut dictum eſt. *c. preced. Not. 4.* Denique interdum poſſeſſorium iudicium fundatur in proprietate, eamque ſupponit, ut ſi agatur de exhibendis liberis, ſeruo, religioſo, uxore, oſtendi enim debet, jus in perſonas competere. *l. 2. §. Quædam. juncta gloſſa marginal. ff. Ad exhib.* quo caſu non eſt proprie cumulatio, ſed ſubſtantialis involutio.

2 Nota II. Proprietas potentior eſt, quam poſſeſſio, ideòque ſententia ſuper petitorio abſorbet ſententiam ſuper poſſeſſione, id verò intelligitur, ſi ſententiæ pro diuerſis ſint latæ, videlicet, quia Actori intentanti poſſeſſorium, adiudicata eſt poſſeſſio, ſed abjudicata proprietas. Quamobrem poſſeſſio alicui adjudicata dicitur momentanea ſiue momentum. *cap. 1. h. 1.* quia ſuperueniente ſententia proprietatis evincitur, & ſuperatur ſaltem quoad principalem effectum. Vt ſuprà explicatum eſt.

CAPITVLVM VII.

Cùm olim.

PARAPHRASIS.

Controuerſia erat inter Archidiaconum

Vincentinum & Archiprebyterum ac Canonicos eiufdem Eccleſiæ, nam Canonicis oppugnabant Archidiaconi electionem, quia ſine ipſis, ad quos jus eligendi pertineat, electus fuerat, ſed Archidiaconus reſpondit, ſe electum eſſe ab Epifcopo Vincentino, qui in quietâ poſſeſſione ſit juris eligendi, cum duos antecelſores ſuos abſque Canonicorum contraditione elegerit. Super hac cauſa procuratores partis vtriuſque miſſi ſunt ad ſedem Apoſtolicam, ubi ex conſenſu communi iudices in prouincia impetrati: coram his vocatis partibus Canonici inducias deliberatorias petiuerunt ad iudices reſuſcendos, ſed ipſi proceſſerunt ad recipiendas atteſtationes, eâſque ad ſedem Apoſtolicam miſerunt, Pontifex viſis atteſtationibus cognouit, quod Epifcopus Vincentinus abſque contraditione Canonicorum, duabus proximis vicibus Archidiaconum elegerit, & quod Canonici iudices reſulare non potuerint, cum vtriuſque partis procuratorum voluntate dati fuerint, quare Archidiacono per ſententiam definitiuam cauſam poſſeſſionis adiudicauit, Canonicis eâ ſuper re perpetuum ſilentium imponens, reſeruatâ tamen eis cauſa proprietatis, ſi de iure eligendi cum Epifcopo contendere velint, quia res inter alios acta, aliis præiudicare non debet. Hic eſt caſus huius capituli ſecundum integram lectionem, uti *gloſſa & DD. reſtantur.*

S Y M M A R I V M.

1. *Poteſt in Beneficio inſtitutus jus ſuum in iudicio proſequi nihil requiſito collatore.*
2. *Tenet eius Electio, collatio aut præſentatio, qui bona fide in poſſeſſione horum hoc feſit, etiamſi proprietas talis juris ad alium ſpectaret.*
3. *Ei hinc titulum ſua collationis juſtificare volens, plus non tenetur probare, quam quod collator fuerit in poſſeſſione juris conferendi.*

4. *Nec*

4. *Nec rescindetur collatio facta à possessore bonæ fidei, quamvis facta sit reclamantibus aliis.*
 5. *Ut autem huius juris præscriptio acquiratur, debet possessio illius nunquam fuisse interrupta intra tempus ad præscribendum requisitum.*
 6. *Res inter alios acta, aliis non præiudicat.*

1 Nota I. Qui in beneficio institutus est, jus suum in iudicio persequi potest, etiam non requisito collatore. Ita notat *Innoc. in cap. Dilectus. 27. de Præbendis. Panorm. hic. n. 3.*

2 Nota II. Electio, Collatio, Præsentatio ad beneficium, si facta sit ab eo, qui bonâ fide in possessione erat juris eligendi, conferendi aut præsentandi, subsistere debet, tametsi proprietas juris non ad ipsum, sed ad alium spectet. Ita *gl. hic. Not. 1.* Et sumitur ex *Capitulo Querelam. 24. De electione, junct. gl. verb. Super jure*, ubi dicitur, sufficere, si electus probet, eligentem fuisse in quasi possessione juris, licet postea appareat, quod proprietas ad alterum pertineat. Ut habetur etiam *in cap. Consultationibus. 19. de jure Patronatus*, quod præsentatus ad beneficiû, ab eo qui erat in possessione juris Patronatus, postquam institutus est, remoueri non debeat, tametsi jus illud postea iudicio petitorio evincatur à possessore juris patronatus. Ratio duplex dari debet. 1. Ex *Innoc. cit. cap. Consultationibus. 19.* quia eligere, conferre, præsentare, sunt quasi fructus beneficij, dignitatis &c. Ratione cuius actus isti competunt, fructus autem ad bonæ fidei possessorem spectant. *l. Bona. 49. ff. De acquirend. Dominio.* Altera ratio quæ mihi magis placet, est *Panormitani hic. n. 7.* Quia actus isti, electio, collatio, præsentatio non procedunt ex jure quasi Dominij competentis electori, collatori, aut patrono, sed potius ex assistentiâ Canonistalem potestatem illi dantis, qui bonæ fidei possessionem & administrationem habet.

3 Corollarium 1. Qui titulum collationis suæ justificare vult, satisfacit, si ostendat collatorem fuisse in possessione juris, & adver-

sarius eius nihil obtinebit, etiam si ostendat collationem sibi ab eo factâ, ad quem quasi proprietas juris pertinebat; quare in hoc casu possessio superat proprietatem. Ita ex communi *Mascardus volum. 1. Conclus. 173. num. 6.*

Corollarium 2. Si Episcopus v. g. existens in possessione conferendi, collationem facere velit, & Capitulum contra eum appellet, nihilominus procedere poterit collator, nec rescindetur collatio, si appareat de possessione, quia aderat sufficiens causa ad conferendum jus provisio, ita *gl. marginal. hic. Panorm. n. 7.* & sumitur *ex c. vlt. de supplemend. negl. Prælat.*

Nota III. Per duos actus, imò etiam per vnicum factæ collationis absque contradictione acquiritur possessio juris conferendi, ita ut si cum bonâ fide legitimum tempus elapsum sit, præscriptio completa censeatur, & jus etiam proprietatis acquisitum; de hoc dictum est supra, *in cap. Cum Ecclesia.* & docet *Mascardus n. 5.* Ceterum ad absolvendam præscriptionem seu usucapionem juris conferendi, eligendi, præsentandi, requiritur ut possessio interrupta non sit, uti ex hoc Cap. colligitur, si enim Episcopus bis collationem fecisset, seu Archidiaconum elegisset, & tertiâ seu ultimâ vice, antequam Episcopus usucapionem compleisset, Capitulum sine contradictione Episcopi eligeret tanquam ad id jus haberet ex eo tempore Episcopi possessio interrupta censeretur.

6 Nota IV. Res inter alios acta, aliis non præiudicat. *l. 1. C. Res inter alios acta.* Exemplum habes hic. Canonici litigabant cum Archidiacono petentes illum remoueri, is defendit se, ostendens Collatorem Episcopum fuisse in pacifica possessione conferendi, & ita obtinuit contra Canonicos. Hoc non obstante, possunt Canonici Episcopo litem mouere, non tantum super proprietate juris conferendi, sed etiam super ipsâ possessione, si v. g. ostendere velint, Collationem Episcopo à Canonicis pro una aut altera vice ultrò & quasi precariò concessâ, quia res inter alios acta &c. Ita notat *Panorm. hic n. 10.*

Cap.

CAPITVLVM VLT.

In cauſa.

PARAPHRASIS.

Patriarcha Grandeniſis & Epiſcopus Diceceſanus controverſiam habebant cum Monafterio S. Georgij ſuper exemptione. Illi actores erant in poſſeſſorio & petitorio, & Patriarcha quidem probauit ſubiectionem ex eo, quod Abbas quandoq; ad ſynodum veniens per plures annos 50. ſolidos ipſi exoluit. Epiſcopus verò ex eo, quia Abbates confirmare ſolitus ſit, & quod ad ſynodum ſuam venerint, atque procurationem ſoluerint. Quamobrem Honorius III. Patriarcham & Epiſcopum in poſſeſſionem iuriſdictionis erga Monafterium reſtituit, ſed quia, cum de petitorio agendum eſſet, pro exemptione Monafterij exhibita fuerunt priuilegia Apoſtolica, neque Patriarcha & Epiſcopus oſtendere potuerunt tanti temporis poſſeſſionem, quæ ſufficeret ad præſcriptionem complendam, idèd Monafterium à petitione illorū ſuper iuriſdictione & ſubiectione abſoluit, reſeruato tamen iure ipſi Patriarchæ, ſi ſuper annuam præſtationem 50. ſolidorum alio iudicio experiri velit. Hic eſt Caſus huius cap. vti patet ex integra lectione, quam cum non viderint plerique interpretes, idèd alienos intellectus formârunt.

SUMMARIUM.

1. Etiam Patriarcha & Metropolitanus præſcriptione acquirere poteſt in ſignum ſubiectionis aliquid ſibi ſolui à monaſterio.
2. Actorus Prælatus ſuper ſubiectione Eccleſiæ poſſidenti Eccleſiam, & ipſi etiam Eccleſiæ actionem intentare poteſt.
3. Agenti petitorio non ſufficit probare poſſeſſionem.
4. Per unum etiam actum iuriſdictionalem poteſt acquirere Epiſcopus poſſeſſionem totius iuriſdictionis Epiſcopalis, ſi animum hanc capiendi habeat, neque alius

in poſſeſſione ſit, aut jus commune illi repugnet.

5. Præſtatio annua quot modis habere ſe poſſit, & quos effectus pariat?
6. Ex ea tamen ſola non probatur ſubiectione aut poſſeſſio ſubiectionis, niſi vel hoc exprimat, vel ex circumſtantiis colligi poſſit.
7. Licet Actori propriam poſtea de eo actionem inſtituere, quod prior ad principalis queſtionis deciſionem per modum cauſæ in iudicium deduxit.

NOta I. Non tantum Epiſcopus præſcriptione acquirere poteſt, ut Monafterium ipſi in ſignum ſubiectionis aliquid pendere debeat, ſed etiam Patriarcha aut Metropolitanus.

Nota II. Si Prælatus agere velit, ſuper ſubiectione Eccleſiæ, non tantum poteſt actionem intentare ei qui poſſidet Eccleſiam. *c. Inter. 8. De Maioritate. & c. 3. De in integr. reſtitut.* ſed etiam contra ipſam Eccleſiam ſeu Monafterium, quod ſubiectionem eſſe dicitur, uti hic videre eſt, in *c. Cum inter. 13. De re iudicata. & notat Panorm. hic. Not. 1.*

Nota III. Agenti petitorio, non ſufficit probare poſſeſſionem, quia proprietas diuerſa eſt à poſſeſſione. *l. Naturaliter. 12. §. Nihil. ff. de Acquir. poſſeſſ.*

Nota IV. Per actus ſeu exercitium iuriſdictionis acquiritur poſſeſſio, & fit vſucapio iuriſdictionis, ut ſi Epiſcopus Abbatem Monafterij confirmet, ſi eum viſitet, procurationem recipiat, aut primos fructus, aliamve penſionem in ſignum ſubiectionis accipiat, ita hic. ſed nunquid ex vno iuriſdictionis actu, acquiri poteſt poſſeſſio totius iuriſdictionis? Reſp. Si nemo alius in poſſeſſione eſt, & jus commune non repugnat, per vnum actum iuriſdictionalem acquiritur poſſeſſio totius iuriſdictionis, dummodo adſit, vel ad eſſe præſumatur animus capiendi poſſeſſionem univerſaliter; ita ex *Communi Tuſcus. Verb. Iuriſdictio. Concluſ. 560.* Exemplum eſt: ſi Epiſcopus confirmatus vnum aut alterum actum iuriſdictionis aut adminiſtrationis exercent, cenſetur ab-

solutè esse in possessione juris, & jurisdictionis Episcopalis; sed alia ratio est, si alius quispiam jus episcopale præscribere velit, seu jure communi resistente, seu Episcopo in possessione jurium Episcopaliũ existente, tum locum habet Regula, quòd *prescriptio non extenditur de casu ad casum.*

Quærunt Canonistæ cum *gl. verb. Ad subiectionis*, utrùm eã præstatione annuã factã Episcopo ab aliqua Ecclesia vel Monasterio rectè colligatur subiectio seu in possessorio, seu in petitorio. Pro resolutione, Inprimis distingue, vel præstatio annua censũ immemorialis est, vel non immemorialis, primo casu induit constitutionem juris ac tituli saltem ex præsumptione, ut necesse non sit causam præstationis allegare. *Arg. l. hoc jure. §. Aqua ductus. ff. De aqua quotid. & docet Bartolus l. Cum de. verb. In rem veniamus. ff. De usufruct.* Excipe nisi ex circumstantiis appareat, non fuisse annuam pensionem solutam tanquam debitam, quia v. g. semper facta erat solutio, cum protestatione, quòd non fiat ex obligatione, uti docet *Mascard. Conclus. 279. n. 16.* idè enim dicunt DD. voluntariis seu non obligatoris actibus nunquam induci præscriptionem. Altero casu, si videlicet præstatio annua immemorialis non sit, fuerit tamen repetita, tum vel nulla certa causa præstationis assignari potest, ut hoc casu, neq; possessio juris exigendi acquiritur, nedum præscriptio. *l. Creditor. 7 C. De usur. c. Peruenit. 5. de Censibus. & docet Panorm. hic n. 7 Mascard. verb. Censibus. Conclus. 270. n. 10.* vel causa præstationis assignatur, ut quia solutio annua in saltem per duos annos facta est, tanquam debita videlicet ratione subiectionis aut pensionis reservatæ in fundatione, hoc casu inducitur possessio censũ annui. Verùm in dubio probare hoc ipsum debet, qui possessionem sibi vendicat, videlicet non tantum annuam pecuniæ aut frumenti solutionem factam esse, sed tanquam debitam ex certa causa, & uno verbo, solutionem fuisse censualem, alioqui si tantum probetur, solutionem per plures annos regulariter factam esse, parum id proderit, cum sit

tantum possessio seu receptio pensionis materialis, non item possessio formalis, tanquam pensionis seu annui censũ, ut sumitur ex *cit. c. Peruenit. & docet Mascardus n. 11. & 12.* Debent tamen hæc intelligi de censu personali, seu qui super persona vera aut ficta fundatur: sin autem loquamur de censu reali, seu qui debetur ex certã re, v. g. fundo, tum sufficit ad possessionem & usucapionem censũ, si solutio fiat, tanquam debita ex hoc fundo, licet causa constitutionis ignoretur, cum sit veluti seruitus adherens rei, uti docet *Panorm. in cit. c. Peruenit. n. 3.* Quòd si verò probetur pensionem annuam receptam esse tanquam debitam seu per modum censũ, tum si jus comune Canonicum non resistat, præscriptio cõtra Ecclesiam perficitur annis 40. *c. De quarta. 4. De prescript.* Sin autem resistat, v. g. ut Ecclesia sit pensionaria alicui laico, tunc requiritur tempus immemorabile sine titulo. Cum titulo autem, v. g. pacti appositi in fundatione sufficiunt anni 40. *c. 1. De prescript. in 6.*

Obiicitur, si jus commune non resistat possessori, tum ipsa ordinaria, seu singulis annis repetita præstatio inducit præsumptionem causæ seu tituli, ergo ad obtinendum in possessorio non requiritur ut probetur causa præstationis. Resp. Verum esse, quòd nõ opus sit probare causam seu titulum præcessisse, sed probari tantum debet, solutionem factam esse, tanquam debitam ex aliqua causa, & vno verbo, probari debet solentem habitum fuisse pro censuario, seu qui censum annuum debeat ex certa causa.

Secundò advertendum est, censum annuum Ecclesia alteri Ecclesiæ aut Prælato non ex sola causa subiectionis præstare potest, sed etiam ex aliis causis seu titulis, v. g. in signum protectionis seu advocatiæ Ecclesia soluere potest Metropolitanò, cui tamen subiecta non sit. *Arg. c. Recepimus. 8. de Privileg.* Potuit etiam fieri, ut Prælati fundando Ecclesiam reservaret sibi & Ecclesiæ suæ pensionem ex redditibus, non in signum subiectionis, sed in signum fundationis & juris patronatũ. *Arg. c. Præterea. 23. de jure Patronat.*

Resp.

- 6 Resp. Itaque ad quæstionem quodd ex solâ annuâ præstatione non probetur subiectio, aut possessio subiectiois, nisi vel in solutione expressum sit eam fieri ratione subiectiois, aut nisi hoc ipsum ex circumstantiis, loci temporis, personarum, præsumptiuè saltem appareat, ut si quis eodem loco, tempore, ac modo quo alij subditi, censum soluat, quæ enim indeterminata sunt, ex circumstantiis determinari solent, uti docet *gl. in l. 3. verb. Pro cauto ff. Si certum petatur, & idem tradit Tusc. verb. Censur. conclus. 190.*
- 7 Not. V. Si Actor per modum causæ aliquid in iudicium deduxerit ad quæstionis Principalis decisionem, non prohibetur

postea super eo propriam actionem instituere. Exemplum habes hic. Patriarcha ad probandam subiectioem Monasterij allegavit pensionem annuam sibi solutam esse, sed non obtinuit in petitorio, cum ostendere non potuerit legitimi temporis decursum, qui sufficiat, ad usucapionem, ob id tamen non prohibetur super eadem pensione, si ipsi in posterum negetur, aliud iudicium petitorium instituere, tum quia super pensione actum omnino non fuerat in petitorio, tum quia tamen actum fuisset ex titulo subiectiois, posset tamen denuò, ex alio titulo seu causa obligationis pensio peti, ut *glossa hæc admonet.*

TITVLVS XIII. DE RESTITVTIONE SPOLIATORVM.

CAUSA restitutionis spoliatorum possessoria est, quippe pertinens ad interdictum possessionis recuperandæ, idèd rectè hic subnequitur, postquam de causis possessoriis in genere dictum fuit.

CAPITVLVM I.

Licet.

PARAPHRASIS.

Apud Gregorium IX. Pontificem l. 12. aliàs 130. ad Constantium Episcopum conquestus est Philafius Cæcus, campum suum ab officialibus seu famulis Ecclesiæ irrationabiliter occupatum esse. Respondet Pontifex, si ita se res habeat, tamen si alioquin ante omnem contentioem de proprietate restitutio Campi cæco fieri deberet, tamen quia Eventus Ecclesiæ eius Diaconus consentiente cæco obtulit se legitime probaturum, quòd Campus ille de iure spectet ad Ecclesiam, idèd probationes admittendas, & si constiterit esse Campum Ecclesiæ, cæco silentium indicendum, sin autem id probatum non fuerit, tum campum ablatum eidem restituendum esse.

SVM MARI VM.

1. Spoliator offerens se ad probandum, quòd sibi

dominium competat, ordinariè non auditur ante spoliati restitutionem.

2. Nisi tacite saltem consentiat spoliatus.

3. Auditur etiam in causis saltem beneficiis, si notoriè constet, Spoliato nullum jus competere: in causis verò profanis constare insuper debes notoriè de iure spoliantis.

4. Si ex restitutione spoliato facta sequeretur anima periculum, auditur spoliator, opponens contra restitutionem.

5. Ex delicto famuli obligatur dominus si in eo officio delinquat famulus, cui à domino prepositus est, nisi suam innocentiam probauerit Dominus.

NOta. Spoliator ordinariè non auditur, si se offerat ad probationes dominij sibi competentis, quia spoliatus ante omnem de dominio contentioem restituendus est. *6. In literis h. l. & docet Couarr. in 4. Decret. p. 2 c. 7. §. 5 n. 12.* Ratio est, quòd æquum non sit, ut spoliator ex iniquitate sua comodum ferat, id autè fieret, si possessionem quam propriâ auctoritate occupauit, retinere posset, ita ut statim fieret Actor, neq; aliud ab eo requiretur, nisi ut dominium probet. Hæc ratio sumitur ex *Cap. Eum. 18. De Prabend. in 6.* Vbi additur, si quis per violentiam occupet

u 2

bene-